



Lvithfridus filius fuit Luithardi comitis Habspurgensis ex Erentrude comitissa Franciæ, Is multis uirtutibus præditus, post patris mortem octauus Habspurgensis & Altbergensis comes factus est. frater uero eius Otto Argentinensis præsul electus fuit. Erat hic Luithfridus gerendis bellis fœlicissimus: unde sub Arnolpho Cæsare ordines duxit, & magnam sibi autoritatem comparauit. Ut autem bello fortis, ita domi iustitiæ & religionis insignis cultor extitit. Itaque eo in loco, ubi maiores eius ante trecentos annos S. Trutpero martyri facellum erexerant, atque suam sepulturam hactenus habuerant, ipse uxoris Bibradæ consensu, anno Christi circiter nongentesimum decimum, nobilem Abbatiam constituit, atque eandem multis pagis & prædijs exornauit. Habebat is filios ex Bibrada tres. ex his Humifridum Landgrauium Alsatiæ, & Nordgouiae comitem, Luithridum Sundgouię comitem, Hugonem comitem in Egensheim, Vuilerthal, & Leberthal constituit. Cum autem ipse tandem anno nongentesimo quinquagesimo quarto contra Sueuos senex fortiter pugnaret, magno omnium luctu occubuit, nulla alia prole ex secunda uxore Luitharde relicta. Laz. lib. i.
 Gen. Aust.